(8

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
STRICTURA URETHRÆ;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

MICHAEL GILLIGAN,

Hibernus,

COLLEGII CHIRURGORUM REGII LONDINENSIS SOCIUS.

KALENDIS AUGUSTI, HORA LOCOQUE SOLITIS.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXXIII.

FRATRIBUS SUIS

PERDILECTIS,

JOHANNI ET PATRICIO GILLIGAN,

HOC OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS

NEC UNQUAM DELENDI

TESTIMONIUM,

DICAT, CONSECRATQUE

AUCTOR.

FRATRIBUS SUIS

PERDILECTIS,

JOHANNI ET PATRICIO GILLIGAN,

HOC OPUSCULUM,

STUDIORUM PRIMITIAS,

AMORIS

NEC UNQUAM DELENDI

TESTIMONIUM,

DICAT, CONSECRATQUE

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

STRICTURA URETHRÆ.

MICHAELO GILLIGAN Auctore.

HISTORIA MORBI.

MORBUS hic, quippe cujus insidiosus est accessus, magnos sæpe progressus fecit priusquam medici auxilium arcessatur, nec raro inventus est ubi ægrum ipsum præsens fefellerit. Non omnes urethræ partes ex æquo urget. A viginti octo ad quadraginta usque ætatis annos, ut plurimum, obvenit: libidinosis, quam quibus mores sunt modesti et temperati, nec non sedentariis, quam iis, qui ex vitæ genere plurima exercitatione

gaudent, infestior. Non semper pariter gravis est, nec in calida æque ac in frigida tempestate. Post febris accessum, exercitationem nimiam, libidinem veneream, vel mingendi cupidini non gratificando, augeri inventus est; e contra, per gonorrhœam, sanguinisve e ficis profluvium, mitescit.

Partem urethræ membranaceam, ante bulbam, quæ ad intervallum sex septemve digitorum ab ore externo distat, strictura potissimum occupat. Affirmat tamen Everardus Home Eques, post bulbam sæpissime oriri. Pars quæ proxima afficitur, quatuor digitorum et dimidii spatium distat; tum ad tres et dimidii intervallum, et rarissime apud os externum hæc affectio oritur. Interdum duo sunt vel tres stricturæ, affirmatque Johannes Hunter se non pauciores sex stricturis in una urethra invenisse.

Strictura triplex est; Permanens, Permanens cum Spasmo, et Spasmodica. Permanentem efficit lymphæ coagulatæ extra urethræ membranam accumulatio; huic similis est permanens cum spasmo, addita insuper urethræ contractione spasmodica, quotiescunque æger urinam reddere conatur. Spasmodicæ causa, est irregularis ure-

thræ contractio, quam nulla comitatur mutatio morbosa.

Definitio.—Urethræ strictura est canalis hujusce coarctatio a morbosa mutatione, actione vel structura proveniens, quæ impedit, quo minus urina libere emittatur.

Causæ.—Hujus morbi causæ sunt vel Prædisponentes vel Excitantes. Prædisponentes, uti dicunt, causæ hæ sunt: temperamentum sanguineum, quod ad venerem sectandam stimulat, incitatque; proprium quoddam in hujus loci natura, a quo facile ad actionem morbosam provocetur; quibus, ut opinor, adnumerari potest diuturna in calida regione commoratio.

Causæ Excitantes sunt variæ; quarum gonorrhœa creditur esse creberrima. Hanc sententiam non comprobavit Johannes Hunter, nec alii medicinæ eximii cultores. Difficile tamen esset hanc opinionem refellere, præsertim cum melior pars eorum qui strictura laborent, gonorrhœa, aliquo saltem tempore, fuerint affecti. Nec parum firmitudinis accipiet hæc doctrina, si in memoriam revocemus, penem fere semper, gonorrhœa labo-

rantibus, pro dimidia parte stare erectum, nec raro esse in statu perfectæ tentiginis; quod per se stricturam creare sufficit. Constat quoque partes, quæ inflammationem subierint, tarde et difficile ad pristinum statum redire, et summa facilitate ad actionem morbosam de novo excitari.

Proxime post gonorrhœam, injectionum irritantium usui hunc morbum attribuunt. Hanc sententiam scriptores quidam improbarunt, quum reputarent, injecta, vix aut ne vix quidem, ad eam urethræ partem pertingere cui morbus plerumque inhæreat. Ulcera quoque in urethra, ut quidam volunt, stricturam faciunt; sed perpauci huic opinioni fidem præbebunt, cum secum reputaverint, ulcera post mortem rarissime in urethra inveniri.

Ex intemperata libidine, stupro sibi manu illato, crebra vel diuturna penis erectione, potusve inebriantis frequentiore usu, morbus hic suam sæpe originem traxisse creditur.

Sectio Cadaveris.—Quæ corpora urethræ strictura afflixerat, ea post mortem incisa, canalem hunc, ad partem cui morbus insederat, contractum ostendunt. In aliis exemplis membrana

urethræ, quod ad longitudinem elevatur, in aliis corrugatur. Strictura plerumque haud longa; nonnunquam tamen inventa est, quæ spatium pollicis occuparet, et cursum flexum haberet. Vesica interna tunica præter naturam densata apparet. Renorum ureteres pelvesque multum dilatantur. Reperiuntur dejectiones urinariæ; et in urethræ parte quæ inter stricturam vesicæque cervicem interjacet, meatus vitiosi cernuntur.

Indicia Morbi.—Stricturæ signa in tres ordines distribuere licet. Prima morbi indicia hæc sunt: urina non nisi difficile redditur; quæ difficultas apud initium tam parva est, ut vix sentiatur. Sed indies augetur, et maximeque gravescit post nimiam exercitationem, vel cum æger liberiori potus inebriantis usui, venerisve libidini indulserit. Sensim quoque imminuitur urinæ fluxus, qui et bifurcus fit, et ad instar cochleæ contortus. Mingendi crebra voluntas, comitante dolore, et cum urina sanguis interdum egeritur. Quibus signis, cum per aliquod tempus permanserint, nec eis fuerit succursum, alter succedit indiciorum ordo.

In secundo morbi gradu urina guttatim stillat, ejus paululum nec volenti effluit. Cito gravissime olet, inspissatur, albidumque sedimentum deponit. In quibusdam semen non inter sexus commercium ejicitur, sed postea, pene desidente, sensim effugit, et simul cum urina profunditur. Ægrum urgent invita seminis emissio, sanies, horror, nausea: anguunt perinæi et imi abdominis dolores; infestat crebra mingendi voluntas. Quibus signis non rite curatis, tertius supervenit morbi gradus.

Ad quem cum sit perventum, ex toto continetur urina, quam sæpius at frustra profundere conatur. Vesica sic nimio humore onusta tumorem efficit, rotundum, circumscriptum, nequaquam flectendum, cutis tamen colore non mutato, sed cum fluctuatione. Supervenit abdominis distentio et inflammatio, febris, nausea, singultus et delirium; quibus rebus accedunt rubor vultus, oculorum micatio, cutisque calor; omnesque secretiones urinam redolent. Cum ad hoc morbus pervenerit, nisi auxilium sine mora conferratur, rupta urethræ membrana, vel vesica, urina in membranam cellularem quæ adjacet, dimanabit; abdominis viscera gangræna occupabit; miserum mors, solum cruciatus remedium jam manet.

Prognosis.—Strictura urethræ, si ab initio recte curetur, facillime opere sanatur. Ad instar morborum cæterorum, quo diutius negligatur, eo difficilior evadit, et si cursus suus ei permittatur, medicinæ ope haud arcessita, exitium tandem adducet. Cum semel inciderit, urethra ad morbum renovandum fit proclivis; quocirca causæ excitantes sedulo vitandæ sunt, et candelam medicatam subinde introducere, multum proficiet.

Diagnosis.—Si signis externis credamus, multi sunt morbi qui cum urethra strictura confundi possint; qui tamen errores, candelam medicatam adhibendo, facile evitantur, et raro hodie, nisi egregie inscios, hic morbus fallit. Quæ vitia imperitum decepturi potissimum videntur, hæc sunt; urinæ suppressio, calculus, glandulæ prostatæ morbi, febris intermittentis horror, et (cum stricturam aliquando comitatur sanies) gonorrhœa. A primo facile discrimen, cum huic nulla adsit urinam faciendi sollicitudo, nullum catheteri inducendo obstaculum, nec eo in vesicam inducto ulla urinæ emissio. Secundum morbum commonstrabunt, facilis catheteris admissio, sensus ille qui tacto calculo percipitur, libera

urinæ cum mictureverit emissio, subita ejus cessatio, et dolor qui post vesicam evacuatam incidit. Tertium ostendent dolor ad mingendi initium, digitusque in rectum immissus.

Curatio.—Strictura vel manu vel medicamentis curatur. Manus curatio posita est in usu instrumentorum, qui in partem morbosam agant; altera pars remedia quædam sapienter administrat, quæ stricturam per constitutionem afficiant. Ad manus curationem hæc præcipue pertinent, extensio, ulceratio, adurentium usus, et excisio.

Extensio vel catheteribus vel candelis medicatis efficitur. Catheterum duo sunt species; nam vel e metallo fiunt vel e gummi elastico; quorum ille raro, hic autem sæpissime et maxima cum utilitate adhibetur. Candelæ medicatæ sunt quadruplices, qui e metallo, intestinis, emplastro, et gummi elastico formantur. Eo quod e metallo constat, rarius utuntur, metuentes, ne in urethra confringeretur. In stricturis admodum contractis ad intestinum nonnunquam confugiunt. Emplastrum et gummi elasticum æque prosunt, duobus cæteris utiliora.

Cum æger cui adsit ullum e signis jam memo-

ratis ad medicum confugerit, magna candela medicata in urethram immittenda est, et, si post duos vel tres conatus, paulisper post quemque morati, nequeamus ad vesicam pertingere, haud dubium est, quin adsit strictura; cujus ut magnitudo innotescat, ægrum urinam reddere jubeamus; tum candela medicata, uncta, paululum calefacta, modice curvata, et urinæ flumini æqualis, in vesicam, si possit fieri, introducenda; quod si ingredi nequeat, altera minore magnitudine assumatur.

Adeo interdum contrahitur urethra, ut candelam medicatam nisi sit tenuissima vix admittat; quæ cum sit debilis, eique opponatur strictura, tantum forte aberit, ut obstaculum superet, ut ipsa potius flectatur, et sic medico fraudem faciat. Cui errori, ut pro parte saltem occurratur, auctor est JOHANNES HUNTER, ut candela magna medicata introducatur, quo morbi situs appareat; deinde altera flumini urinæ æqualis leniter immittatur: cum ad stricturam pervenerit, manus debet abduci, et tunc, si candela resiliat, constat non stricturam subiisse; si non resiliat, in stricturam ingressa est; at si opus fuerit instrumento valde tenui, flecti potest, cum stricturam non in-

traverit; ideoque non est cur huic indicio super credamus.

Fieri potest ut candela in strictura sit ingressa, nec tamen eam perforaverit; potest quoque ibi inflecti. Si impressionem habeat circularem, aut striam, si denique emplastrum sit detersum, signa sunt, eam intrasse. Cum sic compertum sit anteriorem stricturæ partem cecisse, candela priori æqualis injici debet, et per aliquid temporis apud stricturam detineri; tum sæpius conando, obstaculum tandem superabimus.

Strictura jam perforata candela in urethra permanere debet, quamdiu æger ferre possit, quod ab initio non nisi brevi tempus erit; at paucis diebus partes illæ sic ei assuescent, ut in urethra per plures horas sine minima molestia relinquatur. Candelæ sensim augendæ, donec magna facile inducatur; ususque ejus per temporis aliquid retinendus, cum omnia morbi indicia jam discesserint, et si minima sit relabendi suspicio, ad hoc remedium de novo confugiendum est.

Ulceratio.—Cum strictura tam parva est, ut instrumento tenui non pateat introitus, placet, candelam medicatam mediocri magnitudine, ad stricturam usque immitti, et in eam leniter et

caute impelli, ne, nimium urgendo, instrumentum e strictura delapsum, corpus urethræ spongiosum penetraret. Instrumenti magnitudo augenda est tanta celeritate quantam ægri vires sustinere possint, ut ulceratio quam primum fiat. Si cum in hac ratione per aliquod tempus perstiterimus parvum per stricturam instrumentum trajicerimus, ad priorem modum, nempe, qui extensione curat, recurrere debemus. Perpauci exulcerationem sustinere aut volunt aut possunt; et profecto haud sæpe necessaria invenitur.

Adurentium usus.—Hæc ratio quæ stricturam medicamentis adurentibus sanet, summa cum animi attentione a recentibus medicis exculta est. Hanc JOHANNI HUNTER deberi affirmare licet, et celeberrimus EVERARDUS HOME Eques, multique alii et clarissimi viri, diligenti indagatione, plurimum lucis huic rei attulerunt. Ex hujus generis medicamentis, nitrate argenti sæpissime utuntur, ejusque octava pars pollicis ad extremum candelæ medicatæ apponitur. Ante armatam, uti dicunt, candelam altera sine caustico, molliorque quam qua plerumque utuntur, in urethram mittenda, et locus quousque ingressa fuerit notandus, ut sic morbi situm discamus, et ex im-

pressione illata de magnitudine stricturæ judicemus; deinde instrumentum armatum introducendum est, leniterque in stricturam impellendum, et si dolor quem excitat ultra situm morbi producatur, educendum est. Actionem caustici ostendet parvarum penis arteriarum pulsus, quem medicus, digito polliceque impositis, facile et distincte percipiet. Auctore Everardo Home Equite, adurentia non sæpius quam tertio quoque die sunt adhibenda.

Adurentium usus hoc boni in se habere dicitur, quod sanitatem permanentem efficiat; quo fit ut simplici candelæ præstat, cujus vis omnis in eo est, ut extendat; quare pars habitum morbi resumendi retinere potest. Nitras argenti, in strictura irritabili maxime laudatur, et virtutem ejus in spasmo sedando indicat Everardus Home Eques. Attamen medicamenta adurantia non semper eligenda sunt, nec eorum usus in omnibus proderit. Cum strictura magnam urethræ partem oocupat, non videntur votis respondere, et quæ in quibusdam hominibus faciunt irritatio, omnino prohibet quominus ea administrare conemur. Si pravus sit corporis habitus, si æger ætate provectus, si gonorrhœam habeat, quam multa comite-

tur inflammatio, si febrem aut aliquem morbum acutum, si denique præputium, glans vel pars aliqua penis inflammetur, vel si adsit fistula, medicamenta adurentia prave adhibentur.

In strictura curanda medicus recens, Potassam fusam adhibuit et laudavit; at facto periculo, non videtur Nitrati Argenti præstare; et nunc, raro si unquam præbetur.

Excisio.—Hæc curatio audax est, et periculosa habetur. Sic efficitur; incidunt ad stricturam, quam resecant; tum catheterem introducunt, super quem cutis duci debet, ut oræ plagæ cohæreant. Gummi elasticum metallo præstantius; et subinde debet abduci, ut depositionibus urinariis præcaveatur.

Cum urinæ retentio quam strictura creat tota est et perfecta, cum indicia urgent, et strictura penetrari nequit, debet vesica perforari. Hæc operatio perficitur veruculo triangulari in vesicam immisso, vel super pubem, e perinæo, vel ex intestino recto.

Quorum omnium primus locus est maxime eligendus, quod non ei intersit cum partibus summi momenti tam arcta connectio. Canula debet in vulnere relinqui, per quem catheter e gummi

elastico immittatur, ita tamen fixus, ut in vesicam irrepere nequat: nec a conatibus stricturam penetrandi desistendum.

Curatio Medica.—In strictura curanda chirurgiæ tantum auxilio utimur. Ex tribus tamen generibus jam memoratis, unum est quod medicinæ viribus fere semper cedat. Spasmodicum dico, quod removeri potest administrando guttas decem tincturæ muriatis ferri. Quæ medicina iterari debet, in quartam quamque horæ partem, donec fluat urina, aut nausea fiat; at si non stricturæ sublevetur, introductio catheteris ad optatum exitum producet.

Per stricturæ curationem medicamenta cathartica subinde adhibenda; necnon sudorem excitantia, calidumque balneum proficient.

Interdum caustici applicatio, testiculum inflatum, urinæ suppressionem, hæmorrhagiam, et horrorum exacerbationem facit. Si primum aut secundum accidat, proderunt opium, refrigerantia, calidumque balneum. Hæmorrhagiam supprīment frigidorum applicatio, lenis in perinæum pressio, quies, medicamenta cathartica et styptica. Horrores adiment cathartica, dein plena opii po-

tio, haustusque diluentis, quæ cutis perspirationem adducant.

Jam peractis diversis stricturæ tractando rationibus, in memoria semper tenendum est; nisi cum morbus simplici candelæ cedere recuset, si per aliquod tempus in eo utendo perstiterimus, vel cum instrumentum per morbi situm transire nequeat, non esse cur ad medendi rationes multiplices confugiamus.

FINIS.